

✠ In nomine domini dei salvatoris nostri Ihesu Christi Imperante domino nostro basilio magno Imperatore anno quadragesimo tertio: sed et Constantino frater eius magno Imperatore anno quadragesimo: die quintadecima mensis magii indictione primi neapoli. Antiqua Consuetudo huius civitatis est ud qualecumque chartula aud dispositum vel testamentum annotaberint qualecumque Curialis aut notarius vel tabularius. sibe primarius qui huius civitatis prefuerid illa vel illud sternere et atimpleret ud pro hoccansionem neminem periret: Nunc autem benerunt michi: mastalo primario note testatem de chartula offertionis quem scripsit quondam iohannes Curialis qui cognominabatur billusi set pro divina vocationem minime ille sternere concurrid. proinde et ego memoratus mastalus primarius secundum consuetudinem in anc pagina scribo et atfirmo illa ud de omnia et in omnibus que continet firma et stavilis permanead. quibus ipse note continet ita: ✠: die sexta mensis iunii indictione undecima neapoli: Certum est me iohannem filio quondam karemmanni de munianum territorio cymmitirensis: A presenti die promptissima voluntatem offero et tradovi domino sergio venerabili ygumeno monasterii sanctorum sergii et bachi qui nunc congregatus est in monasterio sanctorum theodori et sebastiani in loco qui nominatur casapicta situm in biridiario et per te in memorato sancto et venerabili tuo monasterio. sanctamque tua congregationem monachorum. pro anima mea. Idest integra portionem meam de integrum holibetum positum in memorato loco. et nomminatur ad auriolum: una cum introitum suum et omnibus sivi pertinentibus. que aduc et

✠ Nel nome del Signore Dio Salvatore nostro Gesù Cristo, nell'anno quarantesimo terzo di impero del signore nostro Basilio grande imperatore ma anche nell'anno quarantesimo di Costantino suo fratello, grande imperatore, nel giorno quindicesimo del mese di maggio, prima indizione, **neapoli**. Antica consuetudine di questa città è che qualsiasi atto o disposto o testamento abbia annotato qualsivoglia curiale o notaio o tabulario o primario, chi fosse preposto in questa città lo redigesse e lo completasse affinché niente per caso si perdesse. Ora poi pervennero a me primario Mastalo le annotazioni attestate dell'atto di offerta che scrisse il fu curiale Giovanni di cognome **billusi** ma che per chiamata divina per niente concorse a stendere. Pertanto io anzidetto primario Mastalo secondo la consuetudine in questo atto scrivo e affermo tutte quelle cose e in tutto ciò che contiene rimanga fermo e stabile. Per le quali le stesse annotazioni così contengono: ✠ Nel sesto giorno del mese di giugno, undicesima indizione, **neapoli**. Certo è che io Giovanni, figlio del fu **karemmanni** di **munianum** in territorio **cymmitirensis**, dal giorno presente con prontissima volontà offro e consegno a te domino Sergio, venerabile egumeno del monastero dei santi Sergio e Bacco, che ora è congregato nel monastero dei santi Teodoro e Sebastiano nel luogo detto **casapicta** sito in **biridiario**, e tramite te al predetto tuo santo e venerabile monastero e alla tua santa congregazione di monaci, per la mia anima, per intero la porzione mia dell'integro oliveto sito nel predetto luogo ed è detto **ad auriolum** con il suo ingresso e tutte le cose ad esso pertinenti. La quale mia porzione ancora dunque è indivisa con l'altra porzione di Basilio

indivisa reiacent ipsa portione mea exinde una cum alia portione basilii germani mei. et ipsa portione mea et portione memorati germani mei est uncias sex inter ambi: et ipsas sex uncias nostras aduc iterum indivisas reiacent cum similes sex uncias vestras memorati vestri monasterii: Unde nichil michi exinde aliquod remansit aut reserbavi nec in alienam cuiusque personam quod apsit commisi potestatem: et a presenti die et deinceps prenomminata memorata integra portione mea exinde ut super legitur a me vobis sit offerta et tradita in vestra vestrisque: posteris sint potestatem queque exinde facere volueritis. et neque a me memorato iohanne neque a meis heredibus nec a nobis personam summissam nullo tempore numquam vos memorato domino sergio venerabili ygumeno aut posteris vestris nec memoratus sanctus et venerabilis vestro monasterius quod apsit abeatis exinde qualibet requisitionem aut molestiam per nullum modum in perpetuum. quia ita michi placuit: si autem ego aut heredibus meis quobis tempore contra anc chartulam offertionis ud super legitur benire presumpserimus et in aliquid offensi fuerimus per quobis modum aut summissam personam tunc componimus vobis posterisque: vestris auri solidos viginti bythianteos et ec chartula offertionis ud super legitur sit firma in perpetuum: quod vero chartula offertionis sicut superius legitur secundum consuetudinem manus meas proprias scripsi ego memoratus mastalus primarius die et indictione memorata prima ✕

hoc signum ✕ manus memorati iohanni quod ego qui memoratos pro heum subscripsi ✕

✕ IQ ✕ domini andreae

✕ sergius ✕ domini aligerni

fratello mio e la porzione mia e la porzione del predetto mio fratello sono entrambe sei once e le complessive sei once nostre ancora parimenti sono indivise con eguali sei once vostre del predetto vostro monastero. Di cui dunque niente a me rimase o riservai né, che non accada, affidai in potere di qualsiasi altra persona e dal giorno presente e d'ora innanzi la prenomminata anzidetta integra porzione mia, come sopra si legge, da me dunque sia a voi offerta e consegnata e in voi e nei vostri posteris sia pertanto la potestà di farne quel che vorrete e nè da me predetto Giovanni né dai miei eredi né da persona a noi subordinata in nessun tempo mai voi anzidetto domino Sergio venerabile egumeno o i posteris vostri né il predetto vostro santo e venerabile monastero, che non accada, abbiate dunque qualsiasi richiesta o molestia in nessun modo in perpetuo. Poiché così fu a me gradito. Se poi io o i miei eredi in qualsiasi tempo osassimo venire contro questo atto di offerta, come sopra si legge, e in qualcosa offendessimo in qualsiasi modo o tramite persona subordinata, allora paghiamo come ammenda a voi ed ai vostri posteris venti solidi aurei di Bisanzio e questo atto di offerta, come sopra si legge, sia ferma in perpetuo. Il quale atto di offerta, come sopra si legge, invero secondo la consuetudine con mano mia propria scrissi io predetto primario Mastalo nel giorno anzidetto e nell'anzidetta prima indizione. ✕

Questo è il segno ✕ della mano del predetto Giovanni, che io anzidetto per lui sottoscrissi. ✕

✕ Giovanni ✕ figlio di domino Andrea.

✕ Sergio ✕ figlio di domino Aligerno.

✕ Giovanni ✕ figlio di domino Andrea.

✕ Io anzidetto Mastalo, primario della Curia di questa città di **neapolis**, dopo la sottoscrizione dei predetti testi, che io con le mie mani sottoscrissi per quelli che sono defunti e che nelle stesse annotazioni

<p>✕ ΙΩ ✕ domini andreae ✕ Ego mastalus primarius Curie huius civitatis neapolis qui memoratos post subscriptionem memoratorum testium quos ego hic manibus meis prenotavit heo quod defuncti sunt. et in ipse note huius Chartule prenotati sunt. Ideoque secundum consuetudinem Complevi et apsolvi per indictione memorata prima ✕</p>	<p>di questo atto sono prenotati, pertanto secondo la consuetudine completai e perfezionai per l'anzidetta prima indizione. ✕</p>
--	---

(1) In calce membranae, qua praesens diploma langobardico caractere exaratum fuit, duplex occurrit mentio, unde liquet ipsum semel atque iterum fuisse allatum coram Iudicibus, nimirum in Curia Magni Iustitiarum (anni mentio praetermissa ibidem est), et in Curia Cappellani Maioris anno 1790. Quamobrem cum inter earumdem Curiarum chartulas, quae in magno hoc Archivo adservantur, quaesivimus acta ad Abbatiam S. Petri de Planisi spectantia, ea, quae sese nobis obtulere, nihil aliud e re nostra dignum notatu prodiderunt, quam sententiam a Cappellani Maioris in haec verba latam:

CUR. CAP. MAJ.

In causa redindegrationis Regii Patronatus in Abbatiam, sive antiquum Monasterium S. Petri in Planitie Beneventanae Dioecesis.

Anno 1783. Regi optimo denunciatum fuit, Abbatiam, sive antiquum Monasterium S. Petri in Planitie, in Dioecesi Beneventana positum, esse Regii Patronatus, ac proinde Regiae Coronae oportere reintegrari. Curiae igitur in mandatis datum, ut audito Coronae Advocato, nec non iurium Principis delatore, rite de tota controversia iudicaret. Nunciata actione per citationes edicto expeditas omnibus, quorum interesse posset, incusatisque de more contumaciis, iudicio nullus adfuit, praeter Universitatem Terrae S. Eliae, quae se iudicio sistere studuit, asserens ad ipsam potius, quam ad Regem Ius Patronatus in Abbatiam pertinere. Exactoque termino, pro recepto iudiciorum ordine, probationibus praestituto, Curia examen instituit monumentorum, quae a delatore fuerunt allegata.

Exhibitum est primo diploma scriptum in Castello Planisii anno Incarnationis Dominicae 1008 mense Junio, indict. XI, in quo haec habentur. «*Ego Sansquala Daminus Planisii, qui sum ex gente Normannorum, quadam die cum residerens intus in praefato castello meo Planisii, et cogitare cepissem diem mortis, et aeternum iudicium, et qualiter impii et peccatores cruciabantur in inferno, et quomodo iusti fulgebunt in Regno Coelorum, et consilio accepto a Viris Religiosis, quod nihil melius esset ad acquirendam vitam aeternam, quam si aliquis pro remedio animae suae de rebus suis Sanctae Ecclesiae dederit. Quod vero consilium ego videns congruum et animae meae salutiferum, declaro me habere quandam Terram, quae est vicina Ecclesiae B. Petri: pro remedio animae meae, et omnium parentum meorum congruum est ipsam Terram offerre in Ven. Monasterio S. Petri, quod fundatum est prope iam dicto Castello Planisii: totam et integram supradictam Terram offero, concedo, trado, et assigno in praedicto Monasterio S. Petri in manibus Domini Alberti Ven. Abbatis in praesentia Boni Homini Iudicis, et Goffredi, et Guilelmi, et aliorum subscriptorum testium per hanc videlicet cartulam iuxta legem tradidi, et assignavi, quae quidem Terra circumdata est per hos fines*». Post haec descripti fuerunt predictae Terrae fines latissime quidem patentes, utpote circumscribentes plusquam modiorum terrae quatuor millia, quae nunc etiam sunt penes Abbatiam S. Petri de Planitie; hisque praenarratis, additum fuit in Diplomate. «*Praedictam vero Terram, sicut praelegitur totam et integrum cum legitimo transitu et exitu suo, cum viis, et andiis suis, cum sylvis et lignis, cum petris et aquis, cum herbis et pascuis, cum culto et inculto, et cum omnibus infra se habentibus, liberam et absolutam, et sine retentu aliquo in praedicto Monasterio assignavi ad habendum et possidendum in perpetuum, et ad faciendum de ea quicquid facere voluerint Rectores praedicti monasterii sine contrarietate mea, et heredum meorum*».

Quod vero temere asseritur in exceptione proposita per Universitatem S. Eliae, allegatum scilicet Diploma apocryphum praesumi oportere, id geminatis iudiciis Peritorum rei Diplomaticae, omnino videtur explosum, cum hi pariformiter circa Diplomatis ingenuitatem convenerint, etiam post provocationem Universitatis a primo eorum iudicio. Id etiam evincitur ex eo quod in calce ejusdem Diplomatis legitur scriptum characteribus Saeculi XV. «*Praesentata apud acta Magnae Curiae Domini Magni Iustitiarum Regni Siciliae per Notarium Lucam de Montorio de Neapoli procuratorem procuratorio nomine et pro parte Abbatis Ecclesiae S. Petri de Planisio die penultima Januarii VII. Indictionis*

Neapoli» Id vero apprime congruit cum Instrumento de anno 1444, de quo mox sermo erit, cuius fides indubia est, et extra omnem Universitatis contentionem.

Nimirum exhibitum est quoque memoratum instrumentum confectum anno Nativit. Dom. 1444 die tertia mensis Augusti septima Indictione. Inde apparet, tunc temporis Monasterium S. Petri de Planitie expoliatum fuisse Fortellitio sive *Castro* S. Benedicti, et toto territorio adjacente per Petrum Bucca Planula, atque ea de re Ven. Nicolaum de Sancto Elia Abbatem dicti Monasterii per Procuratorem Notarium Lucam de Montorio adiisse Magnam Curiam Vicariae, ut redintegraretur in possessionem, sibi ereptam. Liquet eundem exposuisse antiquissimam Fortellitii et Territorii possessionem quod ita descripsit. «*Situm est in pertinentiis Comitatus Molisii, ubi dicitur S. Benedicto intus et infra Territorium ipsius Ecclesiae Domini Abbatis subscriptis finibus limitatum, et circumdatum*» neque alios descripsisse fines, nisi qui in superius allegato Diplomate continebantur. Liquet etiam ad iudicium vocatum fuisse Petrum Bucca Planula occupatorem, eoque audito per Procuratorem Notarium Anellum Gayetanum, statuto insuper termino probationibus, testibus auditis, perspectis documentis exhibitis, ac re plane cognita, latam fuisse per Magnam Curiam his verbis sententiam sub die vigesima quarta mensis Martii anni 1444 Indictione VII. «*Pronunciamus, sententiamus, et declaramus, ac sententialiter condemnamus praefatum Notarium Anellum Procuratorem dicti Petri, et ipsum Petrum ad dandum, tradendum, solvendum, et assignandum eidem Notario Lucae Procuratori Domini Fratris Nicolai Abbatis dicti S. Petri dictum Fortellitium cum dicto Territorio in dicto libello contento, et possessionem ipsius*». Denique apparet, transacta sententia in rem iudicatam, executioni fuisse demandatam, et manu Curiae restitutam fuisse Monasterio Territorii et Fortellitii possessionem, atque de his omnibus confectum fuisse publicum instrumentum eodem anno 1444 die 3 mensis Augusti, septima indictione.

Insuper allegatae sunt Regiae litterae Caroli primi Andegavensis ad Iustitiarum Comitatus Molisii de anno 1273 in quibus haec habentur. «*Ex parte Religiosorum Virorum Conventus Monasterii S. Petri de Planisio devotorum nostrorum nobis fuit expositum cum querela, quod Iohannes de Nostella Dominus Planisii eundem Conventum, et Procuratorem eiusdem Monasterii super Casale S. Benedicti, quod dictum Monasterium tenet et possidet, necnon super quibusdam juribus ipsius Monasterii, ac Foro, seu Mercato, quod singulis annis juxta praedicta Ecclesiam fit, contra justitiam perturbat multipliciter et molestat, in dicti Monasterii praedictum, et gravamen: propter quod nobis humiliter supplicaverunt, ut provideri sibi super hoc de benignitate Regia Dignaremur*». Qua petitione visa, Iustitiarum mandatum fuit, quod partibus convocatis, et rei veritate cognita, Regis nomine Ioanni, de Nostella injungeret, «*ut praenominatum Procuratorem et Conventum super praedictis auctoritate propria, et contra juris ordinem non perturbet de cetero aliquatenus, nec molestat*».

Demum exhibitum fuit Inventarium rite confectum anno 1713 bonorum in praesenti possessorum per Abbates S. Petri de Planitie. In eo vero inter cetera bona describitur. «*Il Feudo di S. Pietro di Pianise sta situato verso la parte settentrionale passi 500 in circa distante da Sant'Elia, ed è capacità di tomola quattromila novecento, misure quindici e passi 24, come dalla misura fatta dall'Agrimensore Andrea Pascuccio ec.* Describuntur inde Feudi fines, qui nominibus quibusdam in temporis cursu mutatis, conveniunt cum finibus in prima occasione enunciatis.

His praecognitis, facile Curia accessit ad ferendum de controverso Patronatu iudicium. Nimirum Monasterium S. Petri de Planitie iamdiu dissolutum dotationem acceptam referre debuit uni ex Principibus de Normannorum genere, qui tunc temporis in huius Regni Provinciis summum exercebant imperium. Eius opera statis amplum Territorium dotis nomine traditum Monasterio delibatum fuit ex majori Feudo Planisii, ac proinde constitutum ex bonis ipsius Principatus. Ex jam dictis apparuit; huiusmodi dotationem constituisse saeculo XIII. quo Carolus Primus Andegavensis Monachos et Monasterium S. Petri de Planitie exemit a molestiis et turbationibus sibi illatis per Ioannem Nostella dominum Planisii, quoad possessionem Casalis S. Benedicti in eo territorio comprehensi; quod nunc etiam *Santo Venditto* vocatur: constitisse etiam saeculo XV, quo per Magnam Curiam Vicariae contradicto iudicio restituta fuit Abbati praedicti Monasterii possessio Fortellitii et Territorii juxta fines eosdem, qui in prima concessione fuerunt descripti, ac constare etiam in praesenti; quamvis ob dissolutionem Monasterii, et cessationem conventualitatis iamdiu secutam, a Curia Romana per potestatis abusum Abbatia concessa fuit Abbatibus Commendatariis, qui reditus eiusdem deglutirent.

Ea quidem omnia de regio Patronato in Abbatiam S. Petri de Planisio ambigi non sinunt. Patronatus enim a Normanno Principe quaesitus iure Patronatus ob monasterii dotationem per successionem pervenit ad Serenissimum Regem, in quem omnia Principatus jura fuerunt translata. Translatitium vero est, per dotationem Ecclesiae jus patronatus in Ecclesiam acquiri, tam si Civile jus, quam si Pontificium inspicias. Immo si praeallegata monumenta concessionis deficerent, qualitas ipsa bonorum dotalitiorum Monasterii

satis evinceret, illud ad Regium pertinuisse Patronatum, nam Castrum, Fortellitium, et territorium feudalis naturae, et a majori feudo decerptum, non ab aliis proficisci potuerunt, nisi ab iis, qui exercuerunt iura Majestatis. Quibus perpensis, et visa etiam instantia Advocati Regalis Coronae, Curia ita pronunciavit:

DIE 22 FEBRUARII 1790. NEAP.

Curia Regii Cappellani Majoris declarat, Abbatiam sive antiquum Monasterium sub titulo S. Petri in Planitie, in Dioecesi Beneventana positum, fuisse et esse Regii Iuris Patronatus, ac proinde Regalem Coronam redintegrandam esse, prout praesenti sententia redintegratur in jus patronatus, praedictae Abbatiae, cum omnibus eius bonis, Feudis, Ecclesiis, Grantiis, iuribus, privilegiis, et pertinentiis quibuscumque, et cum jure pertinente ad Serenissimum Regem eligendi, et nominandi Abbatem Commendatarium in quibusvis casibus vacationum, si sibi in animo fuerit, redditus eiusdem Abbatiae Abbatibus Commendatariis addici, vel potius ob dissolutionem Monasterii et Conventualitatis cessationem convertendi bona Abbatiae dotalia in alios usus sive pios sive publicae utilitatis, prout ejus Religioni videbitur. Ne quando vero fraus fiat iuribus Regiis, referatur praedicta Abbatia in libros Curiae inter ceteras Abbantias Regii Patronatus.

*Dominicus Potenza
Io. Baptista Adone Canc. et Sec.*

Ex hac quidem sententia nihil docemur eorum, quae hinc ad propugnandam, hinc ad evertendam diplomatis auctoritatem allata fuerunt. Arbitramur tamen diploma iis, qui Regii Patronatus in Abbatiam illam iuribus adversabantur, visum esse apocryphum, quia plerique et vulgatories rerum nostrarum scriptores trediderunt Nortmannos anno 1016 primum nostras oras petiisse, et Dragonariae oppidum anno 1018 vel serius a Basilio Bugiano Apuliae Catapano simul cum oppidis Troiae, Civitatis et Ferentini conditum fuisse, ut Apuliam pro Graeco Imperatore adversus rebellium, et Alemannorum conatus tuerentur; diploma vero anno 1008 conditum mentionem habet tum Sansgualae Nortmanni, qui per ea tempora Castro Planisi dominabatur tum Draconariae, cuius incola sese ait Presbyter, a quo conscriptum diploma fuit. Sed uterque hic ἀνακρονισμός, cuius perperam insimulari monumentum hoc potuit, facili negotio a peritis rerum diplomaticarum ad internoscendam diplomatis ingenuitatem arcessitis dilui potuit, et nunc quoque potest pro iis, qui cum fortasse animum eodem chronologico errore imbutum ad lectitanda haec monumenta advertant, praesenti huic falsitatis notam inurant.

Quamquam enim deessent vetustiorum scriptorum loca, quae Nortmannos ante annum 1016 in nostras regiones adventasse testata essente, id profecto non tanti foret momenti, ut nobis suaderet omnino fieri non potuisse, ut superioribus annis Duces Appulorum bella adversus Graecos gerentium, et Langobardi nostrates Principes ad arcendos Saracenorum impetus ac populationes, usi sint ope Nortmannorum, quorum virtus militaris ubique gentium ea tempestate praedicabatur. Verum antiquiores, nec sublestate fidei Cronographi, rem nobis luculentissime prodiderunt. Amatus enim casinensis Monachus saeculi XI ante annum 1000 XL Nortmannos Salernum venisse, et victores e praelio cum Saracenis excessisse ait (*Ystoire de li Normant, et la Chronique de Robert Viscart par M. Champollion-Figeac. Paris 1835*). Romualdi Salernitani Chronicon anno 998 nos docet Melum Catapanum duxisse primum Nortmannos in Apuliam, eorumque viribus fretum cum Graecis depugnasse prope Basentellum amnen, et paulo post Asculi oppido potitum fuisse. Ad haec ex Ignoto Casinensi anno 1000, et ex Ignoto Barensi anno 1003 palam nobis fiunt res praeclare gestae a strenuo Nortmannorum agmine adversus Saracenos, qui Salernitano Principatui direptionem, ac excidium minitabantur. Deppingius (*Histoire des expéditions maritimes des Normands, tom. 2. pag. 181*) meminit Nortmannorum, qui ex urbe Salerni Saracenos propulsarunt, idque exeunte saeculo X contigisse adfirmat. Postremo ex Leonis Hostiensis Chronico (*lib. 2. cap. 38. et seqq.*) Guisbertum simul cum germanis fratribus Rainulfo, Ascillitino, sive Asclettino (nisi cum Orderico Vitale mavis hunc appellare Anschellitum de Quadrellis), Osmundo et Rodulfo ante annum 1007 e Neustriae regionibus huc confugisse recte arguit Alexander de Meo (*App. Cronol. pag. 338*) ex eo, quod idem Ostiensis ait eos Capuae, ubi constiterant, nactos esse Melum apud urbem eiusdem Principem Landulfum, quem omnino constat ante annum 1007. Principatum obtinuisse: hoc vero aliisque non minus exploratis argumentis ipse De Meo utitur, quo plane ostendat et Pagium et Pellicciam nostrum perperam quoad chronologiam interpretatos esse, quae Ostiensis de Nortmannorum adventi enarraverat, ac propterea non esse ex eorum sententia statuendum neminem Nortmannorum ante annum 1016 vel 1017 nostris oris insedissee.

Quod porro attinet ad Draconariam, sunt qui anno 1005 hoc oppidum a Graecis exaedificatum memoriae prodiderunt teste Ughellio (*Ital. Sac. T. 8. de Episcopis Draconariensibus*). Eadem tradit

Laurentius Giustiniani (Dizion. Geograf. v. Dragonaria), carpitque Ughellium, quod priorem eius Cathedrae episcopum adfirmasset fuisse Ignizzum anno 961, quo nondum extractum oppidum illud fuerat; sed falsam huiusmodi sententiam apud Ughellium nos minime deprehendimus.

Ex omnibus hactenus allatis testimoniis tum de vestustiori Nortmannorum adventu, tum de condito Draconariae oppido, non immerito arguimus nihil ex utraque re hauriri posse, cur de praesentis diplomatis veritate quisquam addubitet, et chronologici profecto erroris arcessendos esse scriptores, qui nullum Nortmannorum ductorem ante annum 1016 nostris adlapsum esse littoribus pro certo habuerunt.